



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CXXVII. Papst Benedict XII. ertheilt den Aebten von Colbaz, Stolpe und Neukampen den Befehl, die Klagen des Mönches Dieterich von Ruppin zu Lehnin wider den dortigen Abt Hermann zu untersuchen, der ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

CXXVI. Markgraf Ludwig befreiet das Kloster Lehnin von jeder Last der landesherrlichen Vogteigerechsamten gegen eine jährliche Rente von 100 Schock Prager Groschen, am 9. September 1337.

Anno domini Millefimo CCCXXXVII in crastino natiuitatis beate marie, Ludowicus etc. Pio considerantes et pretendentes affectu turbationes molestias et iacturas per bone recordationis quondam predecessores nostros marchiones Brandenburgenses eciam et officiatos nostros nobis in fciis monasterio Leninenfi bonisque suis, vt nobis innotuit, per extorsionem et exigentiam aduocaticiam multipliciter illatas, eidem monasterio bonisque suis et pertinentibus ob salutem et perhennem memoriam animarum predecessorum nostrorum, heredum et successorum nostrorum marchionum Brandenburgensium in dicta extorsione condescendere volumus et vsui ipsius extorsionis omnimodo renunciare, Mandantes singulis et vniversis advocatie Brandenburgensis ceterisque nostris officiatis et aduocatis presentibus et in posterum succedentibus nostri fauoris et gratie sub obtentu, ne unquam de cetero ausu temerario a claustro, a curiis, a villis et villanis ac bonis eorum ubicunque sitis precarias vsitatas siue non vsitatas, quocunque censeantur nomine, extorquere debeant, seruicia siue curruum in lignis deducendis siue feno colligendo, cuiuscunque etiam alterius generis fuerint precipere seu inpignerationes per se vel Bedellos terre facere seu pecuniam pro cuiuslibet seruiciis exigere, coniuuaciones seu iacentias, venaciones uel aliam quamcunque potestatem presumant exercere. In cuius libertatis seu gratie pleniorum recognicionem et confirmacionem dabit nobis singulis annis abbas Monasterii predicti centum sexagenas grossorum pragensium vsualium in festo beati martini quinquaginta et in festo beate walpurgis totidem et tantum camere nostre presentabit, hoc adiicientes, quod si dicte conuencionis siue presentis gratie modus in aliquo viciatus fuerit uel transgressus per nos aut nostros quod ab sit officiatos, extunc idem dominus abbas et conuentus Leninenfis non obligabitur nobis nec tenebitur alicui ad soluendam pecuniam antedictam et respectus ad nos per predecessores nostros marchiones Brandenburgenses bone recordationis deductus et deuolutus ad dictam extorsionem aduocaticiam in suo robore permanebit. Volentes nichilominus et mandantes ut omnes nostri aduocati et officiatii bona dicti Monasterii omni fraude seclusa tanquam nostra fideliter tueantur et defensent. In cuius etc. Testes frater Henricus de Zypplingen, Dominus Jo. de Buch, Haffo de wedel, Thydekinus de Breyderlo cum ceteris pluribus fide dignis.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staats-Archives I, C. 4 in qu. Abth. 3 No. 19. — Gerken Cod. II, 545.

CXXVII. Pappst Benedict XII. ertheilt den Aebten von Colbaz, Stolpe und Neufampen den Befehl, die Klagen des Mönches Dieterich von Ruppin zu Lehnin wider den dortigen Abt Hermann zu untersuchen, der beschuldigt wird, viele Mordthaten und andere Verbrechen verübt zu haben, am 24. Februar 1339.

Benedictus XII etc. dilectis filiis de Colebaz et de Stolp ac de Nouocampo Camminensis et Zwerinensis diocesum Monasteriorum abbatibus salutem. Accedens ad apostolicam Sedem dilectus filius Theodericus de Ruppin, monachus Monasterij de Lenin, Cisterciensis ordinis Bran-

denburgenſis dioceſis, expoſuit in Conſiſtorio coram nobis, quod hoſte humani generis procurante, a quindecim annis citra fuit et adhuc eſt magna diuiſio et diſſenſio inter monachos Monaſterij memorati, ita quod una pars dictorum Monachorum potentior, altera, que de Loborch uulgariter in illis partibus appellatur, alteram partem, iuribus et potentia imparem grauius oppreſſit hactenus et adhuc opprimere non deſiſtit, aduerſus eam tyrannidem exercendo, pluresque Monachos partis ſue, uidelicet Theodoricum de harſtorp et Nicolauum de Lizou et hermannum dictum de Priſwalch ſucceſſiue unum poſt alterum in abbatem dicti Monaſterij intruſerunt, eorumque nequitia ſic inualuit, quod quem uolunt intrudunt in abbatem Monaſterij memorati, non permittentes aliquem inibi canonicè preſcribi in abbatem. Quorum intruſorum temporibus multa enormia fuiſſe dicuntur in dicto Monaſterio et extra eiſ procurantibus et coadiuantibus per perſonas dicti ordinis perpetrata. Nam cum quidam nobilis illarum partium, nomine Falco temporibus eiſdem Nicolai intruſi in Monaſterio pernoctaret, conuerſi eiſdem intruſi et partis ſue, et ſpecialiter eiſdem hermanni nunc pro abbate dicti Monaſterij ſe gerentis, dictum Nobilem et duos alios laicos in lectis ſuis in Monaſterio dormientes inhumaniter occiderunt, et duos alios familiares dicti Nobilis uulnerauerunt, et dum rumor inſurgeret in Monaſterio de quinque occiſis, preſatus hermannus acceſſit ad locum dictorum occiſorum, et dum uidiſſet illos duos uulneratos uiuentes et in paleis latitantes, nunciauit hoc conuerſis dicti Monaſterij, qui ad nunciationem huiusmodi illos duos etiam occiderunt, idemque hermannus arma dicti Nobilis ſic occiſi recepit in predam, eiſque poſtmodum multo tempore uſus fuit. Quorum homicidiorum occasione fuerunt graues inimicitie et guerre in illis partibus ſuſcitatae, que decem annis et amplius durauerunt, in quibus tres conuerſi dicti Monaſterij multeque perſone alie ſeculares per amicos et fautores dicti Nobilis perempti fuerunt, bonaque ipſius Monaſterij, quod olim multis poſſeſſionibus et redditibus habundabat, pro maiori parte ſunt per ſpolia, incendia et rapinas deuaſtata, que aſcendunt ad ualorem ultra ſexaginta millia florenorum auri. Quibus guerris durantibus, Monachi dicti Monaſterij contra obſeruantiam regularem, armis, offenſionibus et deſenſionibus utebantur, eaque tamquam armigeri deſerebant, et apud ſe in dormitorio et reſectorio et locis alijs infra Septa dicti Monaſterij retinebant, et pluries extra ipſum Monaſterium incedentes armati, guerris interſuere ſupradictis, pluresque conuerſi propterea extra dictum Monaſterium ad partes alias exularunt. Stipendiarij quoque conducti fuerunt de bonis ipſius Monaſterij, per quos etiam homicidia, mutilationes membrorum, rapine, incendia et multa mala alia patrata fuiſſe dicuntur, ex quibus apud Nobiles et magnates et apud uulgos illarum partium monachi dicti Monaſterij malefactores notorij et maleficiorum auctores et irregulares exiſtere reputantur, clamorque inſurrexit ualidus contra eos, quod de dicto Monaſterio eiciendi forent et etiam expellendi, eorumque loco Religioſi alij bone uite locandi. Quorum etiam maleficiorum occasione nomine dicti Monaſterij multa debita ſub uſuris grauius ſunt contracta, bonaque immobilia et mobilia dicti Monaſterij alienata, pignori obligata, deperdita et diſtracta fore dicuntur. Quidam etiam conuerſus, qui interſuerat, dum preſatus Nobilis et alij familiares ipſius fuerant interempti, pro eo, quod ſe dixit dicta homicidia ad nutum tunc abbatis et ſuorum fautorum cum conuerſis alijs perpetrariſſe, fuit in carcere poſitus et detentus, et infra decem dies ad nutum dictorum Monachorum de dicta parte Loborch extitit interemptus. Ad hec idem Theodoricus adiecit, quod preſatus hermannus, pro Abbate dicti Monaſterij nunc ſe gerens, in preſatis homicidijs culpabilis fuit, et alijs irregularitatibus irretitus, et ab irregularibus in abbatem electus, ita quod canonicum ingreſſum non habuit ad regimen Monaſterij memorati, et quod idem hermannus bona ipſius Monaſterij mobilia et immobilia dilapidat et confumit, uitam ducent enormiter diſſolutam, Ordinationes quoque per nos editas in dicto ordine non obſeruat, dictumque

Theodoricum per eum et alios dicti Monasterij Monachos pro absolutionibus et dispensationibus in predictis casibus ad Romanam Curiam destinatum, quia predicta consulendo exposuit abbati Monasterij Cisterciensis Cabilonenfis diocesis, superiori totius ordinis memorati, grauius extitit persecutus asserens, quod reuelando predicta eidem abbati ad depositionem ipsius laboraret, dictumque Theodoricum propterea per certos Monachos et conuersos capi fecit, et uinculis ferreis alligari, et nouem mensibus in carcere detineri, grauius ipsum cruciatibus oppriment ad hoc, ut in carcere moreretur. Quendam etiam conuersum dicti Monasterij Geraldum nomine, mandauit et fecit occidi. Quia igitur facinora et enormia scelera supradicta, si ueritate nitantur, non debent conuientibus oculis preteriri, nos uolentes tam de predictis excessibus, enormitatibus atque culpis, quam etiam de alienationibus et dilapidationibus honorum dicti Monasterij plenius informari, discretioni uestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus uos uel duo aut unus uestrum per uos uel alium seu alios ad predictum Monasterium, si tute et commode fieri poterit, alioquin ad locum alium uobis et eidem Thiderico prosecutori negotium huiusmodi, accommodum et securum, personaliter accedentes, uocatis qui fuerint euocandi, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicij, de premissis omnibus et singulis inquiratis diligentius ueritatem, et quecumque super hiis inueneritis fideliter in scriptis redacta sub uestris inclusa sigillis nobis studeatis quamcunq; destinare, prefixo nichilominus eidem Nicolao et hermanno, si eos culpabiles repperitis de premissis, termino peremptorio competenti, quo personaliter apostolico conspectui se presentent, iustam super hiis, dante Domino, sententiam recepturi. Ceterum eidem Theodorico faciatis, si et prout de iure licuerit, ad prosecutionem huiusmodi negocij de bonis ipsius Monasterij, cum proprium non habeat, expensas necessarias ministrari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, Non obstante felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. Predecessoris nostri, qua cauetur ne aliquis extra suam Ciuitatem et diocesem, nisi in certis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium euocetur, seu de duabus dietis in Concilio generali, et quibuscumque alijs Constitutionibus a Predecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, per quas posset uestre iurisdictionis explicatio in hac parte quomodolibet impediri, seu si aliquibus communiter uel diuisim ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspendi uel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem. Diem uero huiusmodi prefixionis et formam et quicquid super hoc feceritis, nobis per uestras litteras harum seriem continentel fideliter intimare curetis. Datum Auinion, VI Kalendas Martij, anno quinto.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ex Reg. litter. commun. Anni V Epist. 97 p. 93.

CXXVIII. Das Kloster Lehnin kauft von den Gebrüdern von Stichen das Dorf Lest nebst einer Zinshebung in Werder zurück, im Jahre 1339.

Villam Lest et VI solidos censuales in Werder habuerunt in feodum a monasterio Lenyn Woltkinus, Henningus et Nicolaus, fratres, dicti de Stichen et vendiderunt conuentui pro LXIII marcis sexag. grossorum.

Altes Berg. Lehniner Urkunden nach Gercken's Cod. VII, 333.